

VIGILIA PASCHALIS

1. *Sabbato Sancto Ecclesia ad sepulcrum Domini immoratur, passionem eius et mortem meditando, a sacrificio Missae, sacra mensa denudata, abstinendo; usque dum, post sollemnem vigiliam seu nocturnam Resurrectionis expectationem, locus detur gaudiis paschalibus, quorum abundantia in quinquaginta dies exundat.*
2. *Ex antiquissima traditione ista nox est observabilis Domini (Ex. 12, 42), ita ut iuxta monitum evangelii (Luc. 12, 35 ss.) sint lucernae ardentes in manibus fidelium, et similes sint hominibus expectantibus dominum, quando revertatur, ut, cum venerit, vigilantes eos inveniat et discumbere faciat ad mensam suam.*
3. *Itaque post sollemne initium cum praeconio paschali sancta Ecclesia vigilat, meditando mirabilia, quae fecit Dominus Deus populo suo ab initio, confidens verbo eius et promisso (pars secunda seu Liturgia verbi), usque dum, appropinquante die resurrectionis, cum novis membris in baptisate renatis (pars tertia), vocatur ad mensam, quam Dominus nobis praeparavit per mortem et resurrectionem suam (pars quarta).*
4. *Tota celebratio Vigiliae paschalis peragitur nocte, ita ut non incipiatur ante initium noctis, et finiatur ante diluculum diei dominicae.*
5. *Missa noctis, etsi ob locorum condiciones ante mediam noctem celebretur, est Missa paschalis dominicalis.*
Qui participat Missam noctis, etsi post mediam noctem celebretur iterum communicare potest in secunda Missa Paschatis.
6. *Sacerdos et ministri induuntur sicut ad Missam, paramentis albi coloris.*
Parentur candelae pro omnibus participantibus Vigiliam, sed catechumeni in hac nocte baptizandi candelas non accendunt ante baptismum.

Pars prima **Sollemne initium Vigiliae seu Lucernarium**

7. *Luminaria ecclesiae exstinguuntur.*
In loco apto extra ecclesiam praeparatur rogos. Populo ibi congregato accedit sacerdos cum ministris, ex quibus aliquis portat columnam cerei.
Ubi autem ignis extra ecclesiam accendi non potest, prosequendus est ritus ut infra n. 12.
8. *Sacerdos salutatur populum congregatum et breviter admonet de vigilia nocturna, his vel similibus verbis:*
Fratres carissimi, hac sacratissima nocte, in qua Dominus noster Iesus Christus de morte transivit ad vitam, Ecclesia invitat filios dispersos per orbem terrarum, ut ad vigilandum et orandum conveniant. Si ita memoriam egerimus Paschatis Domini, audientes verbum et celebrantes mysteria eius, spem habebimus participandi triumpho eius de morte et vivendi cum ipso in Deo.

9. *Deinde accenditur rogos et benedicitur ignis.*

Oratio

Oremus

Deus, qui per Filium tuum claritatis tuae ignem fidelibus contulisti: novum hunc ignem sancti + fica; et concede nobis, ita per festa paschalia caelestibus desideriis inflammari, ut ad perpetuae claritatis puris mentibus valeamus festa pertingere. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

10. *De novo igne accenditur Cereus paschalis, quem diaconus vel, ipso deficiente, ipse sacerdos accipit in manibus et elevatam tenet, cantans solus:*

Lumen Christi.

Et tota congregatio respondet:

Deo gratias.

Conferentiae episcopales ditiorem acclamationem praescribere possunt.

11. *Deinde omnes procedunt ad ecclesiam, praecedente diacono cum Cereo. Si adhibetur incensum, thuriferarius cum thuribulo fumigante pergit ante diaconum. Ad portam ecclesiae diaconus stans et elevans Cereum, iterum cantat: Lumen Christi, R. Deo gratias, et omnes candelas suas accendunt de igne Cerei paschalis et procedunt.*

Diaconus autem, cum venerit ante altare, versus ad populum, tertio cantat: Lumen Christi, R. Deo gratias. Et accenduntur lampades per ecclesiam.

12. *Ubi propter difficultates forte occurrentes non accenditur rogos, benedictio ignis omitti potest. Populo ut alias in ecclesia congregato, sacerdos cum ministris et columna cerei venit ad portam ecclesiae. Populus, in quantum fieri potest, vertit se ad sacerdotem.*

Fit salutatio et admonitio, ut supra n. 8.

Deinde sacerdos accendit Cereum paschalem, quem diaconus (sive, si non sit diaconus, ipse sacerdos) accipit et elevatam tenet, cantans solus:

Lumen Christi.

Et tota congregatio respondet, ut supra:

Deo gratias.

Procedunt in medio ecclesiae, ubi fit secunda statio et accenduntur candelae participantium. Tertia statio fit ante altare, sicut in forma sollemniore.

13. *Tunc sacerdos vadit ad sedem suam. Diaconus autem ponit Cereum paschalem super candelabrum positum in medio chori vel iuxta ambonem. Praeconium paschale annuntiatur a diacono vel, ipso deficiente a sacerdote ipso vel idoneo cantore ad ambonem vel pulpitem, omnibus stantibus et candelas in manibus tenentibus.*

Imposito, si adhibetur thure ad evangelium in Missa, diaconus vel alius minister, qui cantat praeconium, petit et accipit benedictionem a sacerdote dicente submissa voce:

Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis: ut digne et competenter annunties suum praeconium paschale: in nomine Patris et Filii + et Spiritus Sancti. R. Amen.

14. *Cantari potest praeconium in forma longiore aut in forma abbreviata. Conferentiae episcopales insuper condere possunt formas adaptatas, quibus acclamationes populi inseruntur.*

15. *PRAECONII PASCHALIS FORMA LONGIOR*

Exultet iam angelica turba caelorum: exultent divina mysteria: et pro tanti Regis victoria tuba insonet salutaris.

Gaudeat et tellus tantis irradiata fulgoribus: et aeterni Regis splendore illustrata, totius orbis se sentiat amisisse caliginem.

Laetetur et mater Ecclesia, tanti luminis adornata fulgoribus: et magnis populorum vocibus haec aula resultet.

Quapropter adstantes vos, fratres carissimi, ad tam miram huius sancti luminis claritatem, una mecum, quaeso, Dei omnipotentis misericordiam invocate. Ut, qui me non meis meritis intra Levitarum numerum dignatus est aggregare, luminis sui claritatem infundens, cerei huius laudem implere perficiat.

Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum: Qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

V. Sursum corda.

R. Habemus ad Dominum.

V. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, invisibilem Deum Patrem omnipotentem Filiumque eius unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, toto cordis ac mentis affectu et vocis ministerio personare. Qui pro nobis aeterno Patri Adae debitum solvit: et veteris piaculi cautionem pio cruore deterisit.

Haec sunt enim festa paschalia, in quibus verus ille Agnus occiditur, cuius sanguine postes fidelium consecrantur.

Haec nox est, in qua primum patres nostros, filios Israel eductos de Aegypto, mare Rubrum sicco vestigio transire fecisti.

Haec igitur nox est, quae peccatorum tenebras columnae illuminatione purgavit.

Haec nox est, quae hodie per universum mundum in Christo credentes, a vitiis saeculi et caligine peccatorum segregatos, reddit gratiae, sociat sanctitati.

Haec nox est, in qua, destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit.

Nihil enim profuit, nisi redimi profuisset.

O mira circa nos tuae pietatis dignatio!

O inaeestimabilis dilectio caritatis: ut servum redimeres, Filium tradidisti.

O certe necessarium Adae peccatum, quod Christi morte deletum est.

O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!

O vere beata nox, quae sola meruit scire tempus et horam, in qua Christus ab inferis resurrexit!

Haec nox est, de qua scriptum est: Et nox sicut dies illuminabitur: et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Huius igitur sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat: et reddit innocentiam lapsis et maestis laetitiam. Fugat odia, concordiam parat et curvat imperia.

In huius igitur noctis gratia, suscipe, sancte Pater, laudis huius sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione sollemni, per ministrorum manus de operibus apum, sacrosancta reddit Ecclesia.

Sed iam columnae huius praeconia novimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit. Qui licet sit divisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non novit. Alitur enim liquantibus ceris, quas in substantiam pretiosae huius lampadis apīs mater eduxit.

O vere beata nox, in qua terrenis caelestia, humanis divina iunguntur.

Oramus ergo te, Domine: ut cereus iste in honorem tui nominis consecratus, ad noctis huius caliginem destruendam, indeficiens perseveret. Et in honorem suavitatis acceptus, supernis luminaribus misceatur. Flammās eius lucifer matutinus inveniāt. Ille, inquam, lucifer, qui nescit occasum. Ille, qui regressus ab inferis, humano generi serenus illuxit.

Precamur ergo te, Domine: et nos famulos tuos, omnemque clerum, et devotissimum populum: una cum beatissimo Papa nostro N. et Antistite nostro N., quiete temporum concessa, in his paschalibus gaudiis, assidua protectione regere, gubernare et conservare digneris.

Respice etiam ad eos, qui nos in potestate regunt, et ineffabili pietatis et misericordiae tuae munere, dirigere cogitationes eorum ad iustitiam et pacem, ut de terrena operositate ad caelestem patriam perveniant cum omni populo tuo.

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

16. *PRAECONII PASCHALIS FORMA ABBREVIATA*

Exultet iam angelica turba caelorum: exultent divina mysteria: et pro tanti Regis victoria tuba insonet salutaris.

Gaudeat et tellus tantis irradiata fulgoribus: et aeterni Regis fulgore illustrata, totius orbis se sentiat amisisse caliginem.

Laetetur et mater Ecclesia, tanti luminis adornata fulgoribus; et magnis populorum vocibus haec aula resultet.

V. Sursum corda.

R. Habemus ad Dominum.

V. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, invisibilem Deum Patrem omnipotentem Filiumque eius unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, toto cordis ac mentis affectu et vocis ministerio personare.

Qui pro nobis aeterno Patri Adae debitum solvit: et veteris piaculi cautionem pio cruore deterisit.

Haec sunt enim festa paschalia, in quibus verus ille Agnus occiditur, cuius sanguine postes fidelium consecrantur.

Haec nox est, in qua primum patres nostros, filios Israel eductor de Aegypto, mare Rubrum sicco vestigio transire fecisti.

Haec igitur nox est, quae peccatorum tenebras columnae illuminatione purgavit.

Haec nox est, quae hodie per universum mundum in Christo credentes, a vitiis saeculi et caligine peccatorum segregatos, reddit gratiae, sociat sanctitati.

Haec nox est, in qua, destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit.

O mira circa nos tuae pietatis dignatio!

O inestimabilis dilectio caritatis: ut servum redimeres, Filium tradidisti!

- O certe necessarium Adae peccatum, quod Christi morte deletum est!
 O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!
 Huius ergo sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat: et reddit innocentiam lapsis et maestis laetitiam.
- O vere beata nox, in qua terrenis caelestia, humanis divina iunguntur!
 In huius igitur noctis gratia, suscipe, sancte Pater, laudis huius sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione sollemni, per ministrorum manus de operibus apum, sacrosancta reddit Ecclesia.
- Oramus ergo te, Domine: ut cereus iste ad noctis huius caliginem destruendam indeficiens perseveret. Flammam eius lucifer matutinus inveniat. Ille, inquam, lucifer, qui nescit occasum: Christus, qui regressus ab inferis humano generi serenus illuxit.
- Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos famulasque tuas omnemque clerum et devotissimum populum, quiete temporum concessa, in his paschalis gaudiis conservare digneris: per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui resurrexit a mortuis.
- ℟. Amen.

Pars secunda Liturgia Verbi

17. *In hac vigilia, „Matre omnium vigiliarum“, proponuntur novem lectiones, scilicet septem de Vetere Testamento et duo de Novo (epistola et evangelium).*
18. *Si circumstantiae postulant, ex causis pastoralibus minui potest numerus lectionum e Vetere Testamento assignatarum; sed semper ratio habeatur, quod lectio Verbi Divini est res fundamentalis Vigiliae huius paschalis.*
Leguntur ad minus tres lectiones de Vetere Testamento, et in casibus urgentioribus saltem duae. Numquam autem omittatur lectio Exodi c. 14.
19. *Depositis candelis omnes sedent. Antequam legantur lectiones, sacerdos populum admoneat, his vel similibus verbis:*
 Vigiliam sollemniter ingressi, fratres carissimi, quieto corde nunc Verbum Dei audiamus. Meditemur, quomodo Deus populum suum elapsis temporibus salvum fecerit et novissime nobis Filium suum miserit Redemptorem. Oremus, ut Deus noster hoc paschale salvationis opus ad plenam redemptionem perficiat.
Deinde sequuntur lectiones. Lector ad ambonem pergit et primam lectionem legit. Deinde psalmista seu cantor in ambone psalmum imponit, populo responsum proferente. Omnibus surgentibus, sacerdos dicit: Oremus, et postquam omnes per aliquot tempus in silentio oraverint, dicit collectam.
Loco psalmi responsorii observari potest spatium silentii sacri, omissa hoc in casu pausa post Oremus.
20. **LECTIO I: Creatio mundi**
Lect.: Gen. 1,1–2,2. (vel forma brevior: Creatio hominis. Gen. 1,1. 26–31a)
Ps. resp.: Ps. 103, 1–2a. 5–6. 10. 12. 13–14. 24. 35c
 ℟. *Emitte spiritum tuum, Domine, et renova faciem terrae.*

Vel: Ps. resp.: Ps. 32, 4–5. 6–7. 12–13. 18–19

℟. Misericordia Domini plena est terra.

Oratio

Omnipotens sempiterne Deus, qui es in omnium operum tuorum dispensatione mirabilis: intellegant redempti tui, non fuisse excellentius, quod initio factus est mundus, quam quod in fine saeculorum Pascha nostrum immolatus est Christus. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. *℟. Amen.*

Vel alia oratio (de creatione hominis)

Deus, qui mirabiliter creasti hominem et mirabilius redemisti: da nobis, quaesumus, contra oblectamenta peccati mentis ratione persistere; ut mereamur ad aeterna gaudia pervenire. Per Christum Dominum nostrum. *℟. Amen.*

21. *LECTIO II: Sacrificium Abrahae*

Lect.: Gen. 22, 1–18 (vel forma brevior: 22, 1–2. 9a. 10–13. 15–18).

Ps. resp.: Ps. 15, 5. 8. 9. 10. 11.

℟. Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.

Oratio

Deus, Pater summe fidelium, qui promissionis tuae filios diffusa adoptionis gratia in toto terrarum orbe multiplicas: et per paschale sacramentum Abraham puerum tuum universarum, sicut iurasti, gentium efficis patrem; da populis tuis digne ad gratiam tuae vocationis intrare. Per Christum Dominum nostrum. *℟. Amen.*

22. *LECTIO III: Exitus de Aegypto*

Lect.: Ex. 14, 15–15,1

Canticum: Ex. 15, 1–2. 3–4. 5–6. 17–18.

℟. Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.

Oratio

Deus, cuius antiqua miracula etiam nostris temporibus corruscare sentimus, dum, quod uni populo a persecutione Pharaonis liberando dexteræ tuæ potentia contulisti, id in salutem gentium per aquam regenerationis operaris: praesta, ut in Abrahæ filios et in Israeliticam dignitatem totius mundi transeat plenitudo. Per Christum Dominum nostrum. *℟. Amen.*

Vel alia oratio

Deus, qui primis temporibus impleta miracula novi testamenti luce reserasti, ut et mare Rubrum forma sacri fontis existeret, et plebs a servitute liberata christiana populi sacramenta praeferret: da, ut omnes gentes, Israelis privilegium merito fidei consecutæ, Spiritus tui participatione regenerentur. Per Christum Dominum nostrum. *℟. Amen.*

23. *LECTIO IV: Misericordia Domini*

Lect.: Is. 54, 5–14

Ps. resp.: Ps. 29, 2. 4. 5–6. 11. 12a. 13b.

℟. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.

Oratio

Omnipotens sempiterne Deus, multiplica in honorem nominis tui, quod patrum fidei spondisti: et promissionis filios sacra adoptione

dilata; ut, quod priores sancti non dubitaverunt futurum, Ecclesia tam magna ex parte iam cognoscat impletum. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Vel alia ex orationibus, quae sequuntur prophetiae nr. 24–26, quae ibi forte omittuntur.

24. *LECTIO V: Salus omnibus gratuito*

Lect.: Is. 55, 1–11

Canticum: Is. 12, 2–3. 4 bcd. 5–6.

R. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Oratio

Omnipotens sempiterne Deus, spes unica mundi, qui prophetarum tuorum praeconio praesentium temporum declarasti mysteria; auge populi tui vota placatus: quia in nullo fidelium nisi ex tua inspiratione proveniunt quarumlibet incrementa virtutum. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Vel alia oratio adnexa ad prophetiam.

25. *LECTIO VI: Fons sapientiae*

Lect.: Baruch 3, 9–15. 32–38; 4, 1–4.

Ps. resp.: Ps. 18, 8–11

R. Domine, verba vitae aeterna habes.

Oratio

Deus, qui Ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas: concede propitius; ut quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Vel alia oratio adnexa ad prophetiam.

26. *LECTIO VII: Cor novum et spiritus novus*

Lect.: Ez. 36, 16–28

Ps. resp.: Ps. 41, 3. 5 bcd; 42, 3. 4.

R. Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Vel: quando celebratur baptisma Is 12 ut supra nr. 24 post lectionem V vel etiam Ps. 50, 12–13. 14–15. 18–19.

R. Cor mundum crea in me Deus.

Oratio

Deus, incommutabilis virtus et lumen aeternum, respice propitius ad totius Ecclesiae sacramentum, et opus salutis humanae perpetuae dispositionis effectu tranquillius operare: totusque mundus experiat et videat: deiecta erigi, inveterata renovari et per ipsum redire in integrum, a quo sumpsero principium, Dominum nostrum Iesum Christum: Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. R. Amen.

Vel Oratio

Deus, qui nos ad celebrandum paschale sacramentum utriusque Testamenti paginis instruis: da nobis intelligere misericordiam tuam; ut ex perceptione praesentium munerum firma sit expectatio futurorum. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Vel (si adsunt baptizandi) Oratio

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnae pietatis tuae sacramentis: et ad recreandos novos populos, quos tibi fons baptismatis

parturit, spiritum adoptionis emitte; ut quod nostrae humilitatis gerendum est ministerio virtutis tuae impleatur effectu. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

27. Statim post ultimam orationem sacerdos sollemniter intonat hymnum
GLORIA IN EXCELSIS DEO

quem omnes stantes prosequuntur. Et pulsantur campanae secundum locorum condiciones.

28. EPISTOLA

Finito hymno subdiaconus sive lector annuntiat lectionem de apostolo. Rom. 6, 3–11.

29. Finita epistola, omnibus surgentibus, sacerdos sollemniter intonat Alleluia, quod omnes repetunt.

Deinde psalmista vel cantor in ambone profert psalmum, populo respondente Alleluia. Si necesse sit, psalmista ipse Alleluia intonat.

Ps. resp.: Ps. 117, 1–2. 16 ab–17. 22–23.

R.: Alleluia. vel: Alleluia, alleluia, alleluia.

30. EVANGELIUM

A. Matth. 28, 1–10.

B. Mc. 16, 1–8.

C. Lc. 24, 1–12.

Ad evangelium non portantur luminaria, sed tantum incensum, si adhibetur.

Statim post evangelium fit homilia. Tunc proceditur ad liturgiam baptismalem.

Pars tertia
Liturgia baptismalis

31. Sacerdos cum ministris vadit ad fontem baptismalem, si est aliquo modo in conspectu fidelium congregatorum. Secus ponitur vas cum aqua in presbyterio.

Vocantur, si adsunt, catechumeni, qui praesentantur a patrinis, vel si sunt parvuli, portantur a parentibus et patrinis, in faciem ecclesiae congregatae.

32. Deinde sacerdos admonet adstantes his vel similibus verbis:

Precibus nostris, carissimi, unanimes adiuvemus fratrum nostrorum beatam spem, ut Pater omnipotens eos, ad fontem regenerationis euntes, omni misericordiae suae auxilio prosequatur.

Si non adsunt baptizandi, invitatio aptetur circumstantiis. Et canuntur litaniae a duobus cantoribus, omnibus stantibus (propter Tempus paschale) et respondentibus.

33. Si autem habenda sit longior aliqua processio ad baptisterium, litaniae cantantur durante processione; quo in casu baptizandi vocantur ante processionem, et fit processio praecedente Cereo paschali, quem sequuntur catechumeni cum patrinis, deinde sacerdos cum ministris. Admonitio autem fiat ante benedictionem aquae.

34. LITANIAE

Addi possunt aliqua nomina sanctorum Patronorum, e. gr. ecclesiae et baptizandorum, et una alterave intentio.

Kyrie eleison	Kyrie eleison
Christe eleison	Christe eleison
Kyrie eleison	Kyrie eleison
Sancta Maria, Mater Dei	ora pro nobis
Sancte Ioseph	ora pro nobis
Sancte Ioannes Baptista	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule	orate pro nobis
Sancte Ioannes	ora pro nobis
Sancta Maria Magdalena	ora pro nobis
Sancte Stephane	ora pro nobis
Sancte Ignati	ora pro nobis
Sancta Agnes	ora pro nobis
Sanctae Perpetua et Felicitas	orate pro nobis
Sancte Augustine	ora pro nobis
Sancti Leo et Gregori	orate pro nobis
Sancte Benedicte	ora pro nobis
Sancti Francisce et Dominice	orate pro nobis
Sancta Theresia	ora pro nobis
Sancte Francisce Xaveri	ora pro nobis
Sancte Ioannes Maria Vianney	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctae Dei	orate pro nobis
Propotius esto	libera nos, Domine
Ab omni malo et omni peccato	libera nos, Domine
Per mortem et resurrectionem tuam	libera nos, Domine
Peccatores	te rogamus, audi nos
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris	te rogamus, audi nos
Ut cunctis populis pacem et veram concordiam donare digneris (<i>si adsunt baptizandi:</i>)	te rogamus, audi nos
Ut hos electos per gratiam baptismi regenerare digneris	te rogamus, audi nos
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris	te rogamus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi	te rogamus, audi nos
Christe audi nos	Christe audi nos
Christe exaudi nos	Christe exaudi nos

35. *Deinde sacerdos benedicit aquam baptismalem, iunctis manibus dicens sequentem orationem.*

Ubi autem nec adest fons baptismalis nec aliquis baptizandus, dicitur benedictio aquae communis.

ORATIO AD BENEDICENDAM AQUAM BAPTISMALEM

Deus, qui invisibili potentia per sacramentorum tuorum signa mirabilia operaris, creaturam aquae multis modis praeparasti, ut gratiam Baptismi demonstraret;

Deus, cuius Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut iam tunc virtutem vivificandi aquarum natura conciperet;
Deus, qui regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti, ut unius eiusdemque elementi mysterio et finis esset vitiis et origo virtutum;

Deus, qui Abrahae filios per mare Rubrum sicco vestigio transire fecisti, ut plebs, a Pharaonis servitute liberata, populum baptizatorum praefiguraret;

Deus, cuius Filius in aqua Iordanis a Ioanne baptizatus, unctus est Spiritu Sancto et in cruce pendens una cum sanguine aquam de latere suo produxit ac post resurrectionem suam discipulis iussit: „Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti“;

Respice ergo in faciem Ecclesiae tuae eique fontem baptismatis aperi. Sumat haec aqua Unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto, ut homo, ad imaginem tuam conditus, sacramento baptismatis a cunctis vetustatis squaloribus ablutus, in novam infantiam ex aqua et Spiritu Sancto renascatur.

Et immittens, si ita vult, Cereum paschalem in aquam, semel vel ter dicens prosequitur:

Descendat, quaesumus, Domine, in hanc plenitudinem fontis per Filium tuum virtus Spiritus Sancti,

et tenens Cereum in aqua prosequitur:

ut omnes, cum Christo consepulti per baptismum in mortem, ad vitam cum ipso resurgant. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

36. *Deinde tollitur Cereus de aqua, populo acclamante:*

Benedicite, fontes, Domino,
laudate et superexaltate eum in saecula.

37. *Si adsunt baptizandi, ipsi (vel, si agitur de parvulis, parentes eorum et patrini) abrenuntiant diabolo, interrogantur de fide. Deinde baptizatur, sicut in Ordine baptismi, sive adultorum, sive parvulorum continetur. Neobaptizati adulti statim post baptismum confirmantur.*

38. *Ritu baptismi (et confirmationis) expleto, vel si non habuit locum, statim post benedictionem aquae omnes praeter neophytos, parentes parvulorum et patrilinos renovant abrenuntiationem et fidem, eadem formula ac in ritu baptismatis adultorum, tenentes candelas suas accensas in manibus.*

Sacerdos, stans (si adsunt) inter neophytos, his vel aliis verbis, etiam in forma brevis homiliae, congregationem alloquitur:

Nos quoque, fratres carissimi, per paschale mysterium in baptismo consepulti sumus cum Christo, ut cum eo ambulemus in novitate vitae. Quapropter, quadragesimali exercitatione absoluta, sancti baptismatis promissiones renovemus, quibus olim Satanae et operibus eius abrenuntiavimus et Deo in sancta Ecclesia catholica servire promissimus.

Itaque: Abrenuntiatis . . .

Omnes: Abrenuntio.

Et sacerdos concludit:

Et Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique nobis dedit remissionem peccatorum, ipse nos custodiat gratia sua in eodem Christo Iesu, Domino nostro, in vitam aeternam.

Vel:

Et Deus omnipotens, qui hanc sacratissimam noctem gloria Domini-
cae resurrectionis illustrat, conservet in familia sua adoptionis spiri-
tum, quem largitus est; ut corpore ac mente renovati, puram ipsi
exhibeamus servitutem. Per Christum Dominum nostrum.

Omnes:

Amen.

*Et aspergit sacerdos populum aqua benedicta, omnibus cantatibus Vidi
aquam vel alium cantum aptum.*

39. *Interim neophyti deducuntur ad locum suum inter fideles.*

*Ministri autem reverenter portant vas aquae baptismalis ad fontem,
nisi benedictio aquae ibi facta est. Et ponuntur candelabra circa altare.*

40. *Aspersione facta sacerdos, si adsunt neophyti adulti, redit ad sedem, ubi
omisso symbolo statim moderatur orationem universalem, quam neo-
phyti primum participant.*

Pars quarta Liturgia eucharistica

41. *Deinde sacerdos accedit ad altare et veneratur, et incipitur liturgia eucha-
ristica, sicut solitum est.*

42. *Praestat, ut afferatur panis et vinum a neophytis.*

Antiphona ad offertorium

Ps. 77, 23–25

*Portas caeli aperuit Dominus: et pluit illis manna, ut ederent: panem
caeli dedit eis: panem angelorum manducavit homo. Alleluia.*

43. *Oratio super oblata*

*Suscipe, quaesumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus
hostiarum: ut paschalibus initiata mysteriis, ad aeternitatis nobis
medelam, te operante, perficiant. Per Dominum nostrum.*

44. *Praefatio paschalis: in hac potissimum nocte.*

In Canone Romano Communicantes et Hanc igitur propria.

45. *Datur pax, et cantatur Agnus Dei, ut alias. Si adsunt neophyti adulti,
immediate ante communionem Celebrans breviter eos monere potest de
pondere tanti mysterii, quod est culmen initiationis christianae.*

46. *In hac Missa paschali, de iudicio Ordinarii, omnibus fidelibus licet sacram
Communionem sub utraque specie accipere.*

Antiphona ad communionem

Alleluia, alleluia, alleluia.

Ps. 148 vel 149 vel 150.

47. *Oratio post communionem*

Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde: ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordēs. Per Dominum nostrum.

48. *In dimissione, diaconus vel ipse sacerdos cantat:*

Ite, missa est, alleluia, alleluia.

R. Deo gratias, alleluia, alleluia.

De Officio divino

49. *Tam Vesperae Sabbati Sancti quam Laudes Dominicae Resurrectionis dicuntur. Completorium omittitur ab iis, qui Vigiliam participant. Vigilia stat pro Officio lectionum; qui sollemni Vigiliae Paschali non interfuerunt, ex ea recitent saltem tres lectiones Veteris Testamenti cum suis cantibus et orationibus necnon evangelium, quod sequatur hymnus Te Deum et oratio diei.*

BUCHBESPRECHUNGEN

Engelbert Neuhäusler: SEHEN UND GLAUBEN. Biblische Betrachtungen. 192 S., Ln., DM 12,80. Patmos-Verlag, Düsseldorf. [3218].

Jesus lehrte den Akt des wesentlichen Schauens, auf den erst Erkennen und Glauben folgen. In 22 Betrachtungstexten zeigt der Verfasser auf, wie uns der Anblick des ankommenden, gegenwärtigen und wiederkommenden Herrn geschenkt wird, wenn wir die Worte seines Mundes zu hören und die Zeichen seiner Nähe zu deuten verstehen. Ohne diese schauende Grundhaltung würde auch das liturgische Tun zum leeren Ritus.

R. Kleiner

Dieter Emeis: ZUM FRIEDEN ERZIEHEN. 272 S., kart., DM 11,80, S 89,70. Verlag J. Pfeiffer, München 2. [3239].

Was der Behaviorismus über den Aggressionstrieb und seine Bändigung sagt, was die Hl. Schrift über die Gabe des Friedens verkündet, dient dem Verfasser zur Aussage, in welcher Weise und bei welchen Situationen die Chance für eine wirksame Pädagogik des Friedentiftens und Friedenhaltens gegeben ist. Nach einer Grundlegung folgt eine Darstellung der Hauptziele der Friedensarbeit und eine reichhaltige Materialsammlung für Gottesdienste, Gebete, Gespräche, Seminare über das Thema. Tatsächlich haben wir hier viel aufzuholen.

R. Kleiner

F. Böckle – C. Holenstein (Hrsg.): DIE ENZYKLIKA IN DER DISKUSSION. 208 Seiten, brosch., sfr/DM 8,80, S 60,-. V. Benziger/Einsiedeln. [3242].

Die beiden Herausgeber legen in Verbindung mit Publizisten und Theologen aus verschiedenen Ländern eine orientierende Dokumentation zur Enzyklika „Humanae Vitae“ vor. – Papst Paul VI., die römischen Behörden und Bischofskonferenzen, die theologischen Fachleute, die Redakteure der großen Zeitungen sowie die Leserbriefe der Erstbetroffenen, der Eheleute, werden angeführt und ihre Aussagen zu einer summarischen Darstellung von Fr. Böckle verarbeitet. Die Sorge des Papstes besteht in der Bedrohung des Menschen durch Manipulation mittels technischer Mittel, die ihm seine Personwürde nimmt oder mindert. Die Berufung auf die rein physiologische Natur des Geschlechtsaktes genügt aber nicht, die personale Würde zu sichern. Das Verbot „künstlicher“ Empfängnisverhütung läßt sich nämlich nicht aus dem Widerspruch zum menschlichen Handeln begründen. Es geht weniger um eine Methodenfrage, sondern um die Art, wie verantwortliche Elternschaft